



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Capvt XLVI. De reliquis Virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est debitum legale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



SECTIO SEPTIMA.  
DE RELIQUIS VIRTUTIBVS  
IUSTITIÆ ANNEXIS,  
IN QUIBUS EST RATIO DEBITI  
LEGALIS, VEL MORALIS.



LLAE virtutes dicuntur esse annexae Iustitiae, eiusque veluti partes <sup>Qua vir-  
tutes iusti-  
tia anne-  
xa.</sup> quaedam, in quibus cernitur quidem aliquod debitum ad alterum; ta-  
men illud vel est adeo magnum, ut illi non possit satisfieri ad equali-  
tatem; vel est ita paruum, ut non inducat obligationem legalem & <sup>Duplex  
debitum.</sup> strictam, sed solum moralem, quae ex quadam honestate virtutis pro-  
cedit: estque talis, ut nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non  
possit, vel non commode & decorè possit. vide D. Thomam qu. 80. art. unico. Prioris  
generis sunt, Primò, Religio. Secundò, Pietas. Tertio, Observantia. Quarto, Obe-  
dientia, quae est pars observantiae. Posterioris, Primò, Gratitude. Secundò, Vindi-  
catio. Tertio, Veritas, cui opponitur mendacium & hypocrisis; iactantia & iro-  
nia. Quarto, Amicitia, cui opponitur adulatio & litigium. Quintò, Liberalitas,  
cui opponitur avaritia & profusio. Sextò, Emènea seu Aequitas. De Religione iam  
dictum est, de ceteris nunc breviter dicendum, ut singularum ratio constet. Fusior tra-  
ctatio non est necessaria, quia pleraque difficultates aliis locis sparsim sunt tractatae.  
Itaque haec Sectio continebit duo capita. Prius erit de virtutibus prioris generis. Po-  
sterius de illis, quae sunt generis posterioris.

## CAPVT XLVI.

De reliquis virtutibus Iustitiae annexis, in quibus est  
debitum legale.

Constat 6. Dubitationibus.

## DVBITATIO PRIMA.

Quid sit pietas, & quae eius officia.

D. Thomas quæst. 101.

Pietas pro  
religione.



NOTANDVM est, hoc nomen accipi  
tripliciter, ut colligitur ex D. Au-  
gustino lib. 10. de Ciuit. c. 1. Pri-  
mò, ut sit idem quod Græcis εὐσε-  
βεια & εὐσεβεία; & sic non distin-  
guitur à religione. & idem est esse  
pietatem, quod esse religiosum, seu cultui diuino addi-  
tum. cumq; omni opere bono Deus dicatur coli,  
iuxta D. Augustinum & Scripturæ phrasim,

omne opus bonum dicitur opus pietatis. Hoc mo-  
do accipitur passim in Scripturis, ut 1. ad Tim. 4.  
Exerce te ipsum ad pietatē. pietas (εὐσεβεία) ad om-  
nia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est,  
& futura. vbi nomine pietatis videtur intelligere  
studium internæ deuotionis, & sincerum affectum  
erga Deum & proximū: opponit enim illam cor-  
porali exercitationi, quæ consistit in multis ieiun-  
iis, vigiliis, labore manuum, aliisque corporis  
affli-



afflictionibus, vt rectè exponit Anselmus. Eodem modo sæpius accipitur in eadem epistola; & Itia 11. *Spiritus scientia & pietatis*. 2. Machabæorum 12. *Qui cum pietate dormierunt*. & alibi sæpè. Hinc cultores Dei passim vocantur *py*: idololatæ & peccatores, *impy*: quod nomen maximè in atheos competit, qui diuinitatem & omnem *Deorum* tollunt.

2. Secundo, Accipitur pro *miseriordia*, seu benigno affectu, præsertim erga filios opis nostræ egentes. hoc modo *pietas* sæpè tribuitur Deo; vt quando dicitur *pius Pater, pius Saluator*; Ecclesiastici 2. *Quoniam pius & misericors*. 2. Paralip. 30. *Pius enim & clemens est Dominus*, vbi Græcè est *ἀντιφωρ*, quod misericordiam significat.

3. Tertio, Pro speciali virtute, qua colimus parentes, tamquam vitæ & educationis nobis secundum Deum auctores. hoc modo accipitur hic à diuo Thoma, & definitur à D. Augustino libro 83. qq. q. 3. ex Cicerone hoc modo: *Pietas est per quam sanguine iunctis patriæque beneuolis, officium & diligens tribuitur cultus*.

Vbi notandum est, *pietatem* Primo & principaliter respicere Parentes, quia hi post Deum sunt præcipui auctores ortus & educationis. Secundo, Patriam, quia etiam patria aliquo modo est principium ortus; tum quia parentes fouet, tum quia opportuna ad ortum & educationem suggerit. *patriam* voco oppidum, vicum, Prouinciam cum habitatoribus suis. Tertio, Alios consanguineos; non quod illi sint ortus principium, sed quia in illis quodammodò representantur nobis parentes, qui mediâtè vel immediâtè nobis sunt ortus principium. ob eandem rationem potest etiam extendi ad liberos & ad vxorem; quia in liberis representantur nobis parentes nostri, & vxor est instrumentum per quod natura à parentibus accepta in posteros deriuatur. rarò tamen in praxi vumur hac consideratione: filios enim diligimus & honoramus tamquam aliquid nostri; quia sunt veluti pars à nobis decisa, in qua natura nostra conferuetur. itaque nos ipsos potius, quam parentes nostros in illis intuemur & curamus: vxorem verò, quia vna caro nobiscum, & quia adiutrix ad procreationem liberorum, & ad omnia vitæ subsidia. Nihilominus tamen, quia in his consideratur coniunctio sanguinis & naturæ, rectè à Cicerone & D. Thoma hi affectus ad pietatem referuntur; quæ generatim ad omnes propagine coniunctos pertinere dicitur.

*Pietas generatim ad omnes sanguine iunctos pertinet.*

4. Notandum Secundo, Rationem, quam *pietas* in suis obsequiis principaliter respicit, esse debitum illud, quod habemus erga patres & erga patriam, quatenus sunt nobis principium ortus & educationis, (quæ etiam bonam institutionem complectitur) quod debitum, præsertim erga parentes, tale est, vt exhaustire illud nequeamus, reddendo illis æquiualens, iuxta Aristoteli. quod intellige, in eodem rerum ordine, & obsequiis ordinatis: nam beneficium à parente & etiam à patria acceptum, obsequiis supernaturalibus vel extraordinariis compensari & etiam vinci potest: vt si filius conuertat parentem & patriam ad fidem Christi; vel si vitam pro eorum liberatione exponat. qua de re vide disputationem apud Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 34. & 35. vbi ostendit, beneficium paternum à filio etiam vinci posse. Hoc tamen non soluit filium obligatione naturali, qua

*Debitum quod pietas intuetur.*

patri obstringitur; quia semper manet filius. Adde, debitum illud, quo peculiariter patriæ nostræ præ reliquis Prouinciis vel locis obstricti dicimur ratione beneficii ortus, non esse ita magni momenti; vt pulchrè ostendit Lipsius in sua Constantia c. 11. quia hoc beneficium potius est astrorum & elementorum quam angustis natalis soli. Hinc videmus viros sapientes vulgarem illam patriæ affectum non magni fecisse; quasi non hic vel ille vicus, aut oppidulum aliquod patriæ sit, sed mundus totus. quia tamen communia elementorum & cælorum beneficia ad nos non nisi per loca, quæ incolimus, perueniunt, non est, ceteris paribus, hic affectus patriæ omnino contemnendus.

Ex dictis colligi potest Primò, Quòd sit *obiectum* quod, & *obiectum cui*, & ratio formalis *obiecti* huius virtutis; quæ tria, sicut in omni virtute ad Iustitiam pertinente, ita etiam in hac reperiri debent. *Obiectum* enim quod huius virtutis est cultus, & obsequium externum, ad quod hæc virtus ordinatur. actus enim externus virtutis habet se per modum obiecti respectu actus interni, & consequenter respectu ipsius habitus. Nec obstat, quod idem actus sit opus eiusdem virtutis; quia virtutes operatiuæ faciunt suum obiectum; & in eo distinguuntur à speculatiuis, quæ illud supponunt, non faciunt. Deinde non est opus virtutis immediatè à virtute eliciti; hoc enim non potest esse obiectum; sed imperatum & productum mediante alia potentia, cui operi non repugnat esse obiectum virtutis imperantis. consistit autem hic cultus partim in honore parentibus suo tempore & loco deferendo; partim in necessariis vitæ subsidiis præbendis, quando ea aliunde non habent; vt si capti sint ab hostibus, liberentur; si egestate laborent, sustententur; si pressi mœtore, recreentur; vt colligitur Marth. 15. In quem locum vide Hieronymum & D. Thomam art. 2. cum enim ipsi nobis sint causa vitæ & educationis, tenemur vicissim Iure naturali cuiusdam gratitudinis, illorum vitam & statum, si in periculo versetur, quantum in nobis est, conseruare. alioquin indignus est vita, qui vitæ suæ auctorem negligit: sicut è contrario dignus, qui fouet. vnde in Lege promittitur longæuitas illis, qui parentes honorant. Neque solum hæc naturalia obsequia continet ille cultus, sed etiam supernaturalia, quibus inuentur ad salutem: nam etiam hæc illis præ ceteris debentur.

*Obiectum quod, & cuius ratio formalis obiecti.*

*Quis cultus parentibus debetur.*

*Obiectum cui sunt parentes & consanguinei, patria, & patriæ beneuoli: pietas enim cultum defert* *Obiectum* parentibus, tamquam vitæ auctoribus, & propter *cui* parentes aliis consanguineis, quia in ipsis parentum sanguis existit; deinde patriæ, & propter patriam sociis, & patriæ fœderatis. Sicut enim consanguinei honore & obsequio digni sunt, quia parentes in ipsis quodammodò conspiciunt; ita beneuoli patriæ, quia in ipsis fauorem & auxilium patriæ conspiciunt.

*Ratio formalis obiecti* potest considerari vel in *obiecto* quod, vel in *obiecto* cui. In *obiecto* quod nihil est aliud quam ratio *debiti*: hæc enim non solum tenet se ex parte subiecti, sed etiam obiecti in Iustitiæ partibus. In *obiecto* cui est ratio *principij* ortus nostri; quæ rationes ita se habent, vt altera alteri subordinata sit. idè enim pietas præstat cultum & obsequium parentibus & patriæ, quia hoc illis est debitum; idè autem est debitum, quia ipsi

*Ratio obiecti.*



ipsi sunt principium ortus. vnde hæc est prima ratio obiectiva, quam hæc virtus mediata respicit. ab hac autem altera illa, (nempe ratio debiti) quam respicit immediate, speciem accipit. vnde etiam hæc virtus ab eadem speciem habet, etsi mediata. habet igitur speciem ab utraque ratione obiectiva, ab altera mediata, ab altera proxima. Idem cernitur in aliis Iustitiæ partibus, vt supra cap. 2. dub. 1. num. 7. dictum est.

Virum autem filium aliquando propter officium pietatis impediatur ab ingredienda Religione, vel si ingressus sit, teneatur egredi, dictum est supra cap. 41. dub. 3. vide D. Thomam q. 101. art. 3.

8 Colligitur Secundo, Hanc virtutem merito sibi primum locum post religionem vindicare; quia parentes sunt veluti secundarij quidam dii respectu filiorum, tamquam secundaria principia essentia, vitæ & doctrina. vnde representant filijs quodammodo ipsum Deum, qui est primarius & summus omnium parens. Hinc fit vt post præcepta primæ tabulæ, quæ ad cultum Dei pertinet, primum secundæ tabulæ sit de honore parentibus exhibendo. Hæc tamen intellige, considerato statu hominis naturali, & intra limites legis nature; nam in ijs, quæ ad statum supernaturalem pertinent, parentum non est illa auctoritas.

9 Vnde quæ dicta sunt de pietate in parentes carnales, accommodari possunt cuidam virtuti, quæ respicit debitum, quod parentibus spiritalibus (qui nobis secundum Deum sunt auctores vitæ spiritalis, per quam sumus Christiani vel Religiosi) debemus, quæ etiam pietas dici potest, sicut illi parentes dicuntur: non enim his minus debetur, quam parentibus carnis, quia ab illis nature diuinæ communionem & vitam quamdam supernaturalem accepimus; sine qua parum proderat totum id quod à parentibus carnis nostræ habemus. sed hæc virtus non distinguitur ab observantia supernaturali.

DUBITATIO II.

Quid sit observantia.

D. Thomas q. 102.

10 R Espondeo, Sicut virtus pietatis defert cultum parentibus, quia sunt auctores vitæ & educationis, ita observantia omnibus Superioribus, quia sunt auctores nostræ gubernationis. quicumque enim nos aliqua in re gubernant, aliquo cultu digni sunt; & cultus eis, ratione huius eminentiæ coniunctæ cum beneficio gubernationis, est debitus. Sic honor & obsequium debetur magistro à discipulo, duci à milite, Magistratui à ciue, Principi à subdito, Abbati à Monacho, Episcopo à Clericis, domino à seruis. in his enim omnibus est excellentia quadam & auctoritas per quam gubernant alios.

11 Dices, Non solum eos, qui nos gubernant, observantia cultu prosequimur, sed etiam eos qui sapientia, sanctitate, virtute, vel auctoritate sunt insignes; quamuis nullam in nos iurisdictionem habeant, aut nulla in re nos dirigant: ergo hæc virtus non respicit debitum ex gubernatione proveniens.

Resp. Respondeo negando consequentiam; quia etsi isti actu nulla in re nos gubernent, tamen idonei sunt gubernare, ratione excellentiæ quam habent;

& ideo cultus illis debetur. Itaque observantia respicit tamquam obiectum cui, id quod est principium gubernationis actu vel potentia, vt docet D. Thomas art. 1. ad 2. primario tamen id quod actu gubernat, secundario quod aptum est gubernare. Quare cum omnis virtus ad hoc recte disponat hominem, facit eum observantia cultu dignum, vt docet Caietanus qu. 103. art. 4. quamuis debitum erga hunc hominem non sit tantum, quantum erga illum qui actu gubernat, cuius signum est, quod si omittas cultum debitum Superiori, possis puniri per leges; secus si cultum aliis debitum negligas; quamuis in hac omissione peccatum esse possit.

Hinc patet Primum quid sit observantia, est enim virtus cultum deferens Superioribus & aliis personis excellentibus, quæ nos gubernant, vel gubernare sunt idoneæ. vbi explicatur actus virtutis, & obiectum quod, & obiectum cui, & ratio obiectiva. Actus enim est, deferre cultum, id est, honorem & obsequium, quando ratio postulat. Idem cultus est obiectum quod, cum sit opus externum virtutis, quod virtus intendit. Obiectum cui est Superior & quevis persona excellens. Ratio obiectiva in obiecto cui est excellentia, vt est principium gubernationis actu vel potestate. hinc oritur ratio obiectiva proxima, quæ cernitur in obiecto quod, nempe ratio debiti ob talem causam.

Ex quibus facile intelligi potest definitio illa, quam ex Cicerone refert D. August. libro 83. qq. q. 31. Observantia est per quæ homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam & honore dignantur.

Patet Secundo, quid intersit inter pietatem, & observantiam: pietas enim defert cultum debitum alicui vt principio ortus & educationis; observantia debitum vt principio gubernationis: quæ debita sunt diuersa rationis, sicut & beneficia & causa ex quibus oriuntur. vnde

Patet Tertio, Pietatem esse præstantiorem observantia, per se loquendo; & ceteris paribus magis obligare, vt docet D. Thomas qu. 102. art. 3. quia maius magisque intimum est beneficium ortus & educationis, quam gubernationis reliquæ vitæ, in eodem ordine rerum.

Dices, Magis obligamur erga Principem, quam erga parentem: si enim vterque esset in extrema necessitate, Princeps esset parenti in ope ferenda præferendus: atqui Princeps colitur observantia, parens pietate; ergo observantia magis obligat quam pietas.

Respondeo, Principem esse parenti præferendum, non præcisè vt me gubernat, quo modo illi debeo observantiam; sed vt patriam gubernat, & commune bonum continet, qua ratione illi debetur officium pietatis, vel Iustitiæ legalis. Pietatis autem quidem, quia hæc est etiam ad patriam benevolens & benefactoris: Iustitiæ legalis, quia bonum commune continet. Pari modo patria colitur officio pietatis, si spectetur vt principium ortus; Iustitiæ verò legalis, si spectetur vt quoddam totum, seu corpus politicum, cuius ego sum pars. respectus enim & debitum partis ad totum, ad Iustitiæ legalem pertinet, vt supra cap. 1. dub. 3. ex D. Thoma dictum est. Denique etiam observantia coli potest patria, si consideretur præcisè vt est mihi auctor gubernationis per suas leges & statuta. potius tamen erga patriam, sicut & erga parentem dicitur esse pietas, quam observantia: vel quia ista

Extendit se primario ad eos qui actu gubernant, secundario ad idoneos gubernare.

12 Quid sit observantia. Obiecta eius.

13 Discrimen pietatis & observantia.

14

15 Quomodo Princeps parenti præferatur.



virtus est præstantior, & præuenit alteram, vel quia parens & patria potius sonant principium ortus quam gubernationis.

16 **Gradus ob-  
seruantia  
& pietatis.** Porro Primus gradus huius virtutis, sicut & pietatis, est propositum, quo quis statuit parentibus & maioribus omnibus honorem & obsequium debitum impendere.

17 Secundus est, A quo animo ferre eorum molestias, asperitatem, morositatem, iniurias; nec propterea ab officio desistere; iuxta monitum Sapientis, Ecclesiastici 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes illum in vita illius, & si defecerit sensus, veniam da, & ne spernas illum in virtute tua, elemosyna enim patris non erit in oblivione.* si tamen in via Domini (vt in consiliis Christi sequendis) impedire vellent, non sunt hac in re tolerandi; unde Dominus Luca 14. *Si quis venit ad me, & non*

**Parentes si officiant pietati, non sunt audiendi.** *odit patrem suum, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores; adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quem locum vide Gregorium Homil. 37. in Euang. Rectè Chrysostomus Hom. 84. in Ioannem: *Sicut cum spiritualia impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt, ita cum nihil impediunt, merito omnia ipsis tribuenda, & omnibus anteponendi.* Hieronymus Epist. 1. quæ est ad Heliodorum: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparsa cruce & scissis vestibus, vbera, quibus re nutriet, mater ostendat; licet in limine patris iaceat; per calcatum perge patrem; sicis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* vide totam illam Epistolam. Idem tradunt reliqui Patres.

Tertius est, Cum voluptate illis seruire, & incommoda eorum tolerare. vide plura apud nostrum Bernardinum Rosignolium lib. 4. de Perfectione Christiana cap. 23.

### DUBITATIO III.

#### De diuisione obseruantia.

18 **M**ultæ sunt obseruantia species, sicut & multe dignitatum & excellentiarum. Ille tamen magis interna aestimatione & affectu reuerentia distinguuntur, quam opere externo, vt patet ex dictis cap. 36. dub. 2. Idem enim opus externum, vt procedit à diuerso affectu interno, & ad testandam diuersam excellentiam ordinatur, est diuersa speciei moralis, & diuersa virtutis.

**Obseruantia politica.** Primò igitur diuidi potest obseruantia in politicam, & religiosam. Politica est quæ ob dignitatem politicam vel excellentiam humanam cultum defert: talis est qua coluntur Principes, Magistratus, & alij dignitate seculari conspicui: item magistri à discipulis, domini à seruis, patroni à clientibus.

19 **Religiosa.** Religiosa est, quæ ob dignitatem vel perfectionem cum religione coniunctam vel diuinum numen respicientem, cultum exhibet, vt quando quis honoratur vt sacerdos, vt Propheta, vt sanctus, vt beatus. Dicitur religiosa, non quia actus eius est à virtute religionis, sed quia ipsi religioni affinis, & cum ea coniunctus.

**Naturalis.** Hæc rursus duplex est: alia enim est naturalis, qualis fuisse in statu nudæ naturæ, & modò esse potest, vbi sacerdotium & cultus diuinus sola ratione naturali vel constat, vel aestimatur. Alia supernaturalis, quæ ob ministerium supernaturale,

vel ob aliquam excellentiam supernaturalem cultum defert. talis est qua honorantur sacerdotes, Episcopi, Pontifices, & alij Ecclesie ministri & Religiosi; si tamen eorum dignitas apprehendatur & aestimetur vt oportet. cum enim hæc non sit politica, sed supernaturalis, & ad Deum specialem ordinem habeat; necesse etiam est, vt aestimatio interna, affectus reuerentia, & omni que submissio sit alterius rationis, quam in cultu politico; & consequenter externus quoque cultus, quo hanc submissionem nostram & illorum excellentiam testatur, induit alterius virtutis rationem; signum enim accipit speciem ex ordine ad rem signatam. Multum ergo falluntur hæretici, cum putant homines in hac vita non posse nisi cultu politico coli. qui enim ob causam sacram & supernaturalem defertur, sacer est & supernaturalis, non politicus; etsi externa nota submissionis politico cultui accommodetur.

**Supernaturalis obseruantia** diuiditur in *duliam* & *hyperduliam*. Dulia dicitur, quæ cultum exhibet Beatis, ob sanctitatem vel beatitudinis statum. eandem puto etiam extendi ad viatores, quando ob sanctitatem vel dignitatem supernaturalem honorantur: sanctitas enim huius vitæ & futura est eiusdem ordinis; etsi ibi sit perfectior.

Deferuntur tamen Sanctis beatis quidam externi cultus, quibus eorum gloria significatur; qui non consueverunt mortalibus tribui. Ad eundem ordinem pertinent dignitates & officia Prælatorum, & aliorum ministrorum Ecclesie. Merito autem vocatur hic cultus *dulia*, quia Sanctos debemus aestimare & reuereri tamquam nostros dominos, & summa animi demissione nos erga illos veluti serui erga dominos gerere; felices nos duccendo, si in seruos recipere dignentur.

**Hyperdulia** vocatur, quæ cultum exhibet creaturae ob singularem & præcellentem ad Deum vnionem aut respectum, vt beatæ Virgini, quia mater Dei; & humanitati Christi, quia Verbo diuino substantialiter vnita. esse enim matrem Dei, est singularis & suprema quædam dignitas, qua maior infra Deum, seu in supposito quod non est Deus, cogitari non potest; ratione cuius debetur ei singularis aestimatio, reuerentia, & submissio animi, ab omni creatura rationali. vnio verò hypostatica cum Verbo, est summa dignitas creature communicabilis, quia per eam creatura efficitur Deus. quia tamen non efficitur Deus per essentiam, sed per vnionem & communicationem idiomatum, ideo si ipsa consideretur præcisè vt terminus integer cultus, non colitur latrà, sed hyperdulia. de quo plura diximus 3. p. qu. 25.

Verum autem sint habitus specie diuersi, à quibus hi cultus procedunt, non ita constat. valde probabile est, cultum hyperdulie, & etiam dulie, qui defertur ob aliquam dignitatem vel relationem supernaturalem ad Deum, posse elici ab habitu religionis; quia tota ratio colendi est Deus, seu respectus ad Deum. quamuis etiam probabile sit, dari proprium habitum & distinctum, qui absque consideratione Dei, immediatè possit, ob illas morales dignitates & excellentias, cultum internum & externum exhibere; sicut in habitibus intellectus, etiamsi ex vi assensus principiorum possit assentiri conclusioni; tamen datur habitus scientia; quo immediatè possimus assentiri conclusioni, absque consideratione principiorum.

Quod



Quod attinet ad cultum, qui defertur ob beatitudinem vel sanctitatem, hic omnino referendus est ad habitum à virtute religionis distinctum. vide supra cap. 36. dub. 3.

## DUBITATIO IV.

## Quid obedientia, &amp; quanam eius functiones.

D. Thomas q. 104.

22 **N**Otandum est, obedientiam dici quasi obaudientiam, quòd vox & præceptum Superioris audiatur & admittatur: Græci *ὁμολογία* dicunt, quasi subauditionem. accipitur autem hoc nomen tum pro obedientia formali, tum pro materiali. *Materialis obedientia* est omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etiamsi non ea intentione expressim fiat. satis enim est illa intentione fieri poruisse; quæ intentio si adesset, illi formalem obedientiam rationem superadderet. Hæc obedientia non est specialis virtus, sed omnes virtutes complectitur, quæ aliquem actum cadentem sub præceptum habent.

*Formalis.* *Formalis obedientia* est, quæ idèd expressè aliquid facit, quia præceptum est. hæc est virtus specialis; quia et si ad omnis virtutis materiam se extendat, tamen sub speciali ratione honesti id facit, videlicet quatenus opus eius debitum est ratione præcepti.

23 Itaque *obiectum* quod huius virtutis, est omne opus præceptum. ad hoc enim volendum & faciendum hæc virtus per se & directè inclinatur. *Obiectum* cui, Superior; huic enim dicimur obedire. Vnde qui non habet illum Superiorem cui possit obedire, is non habet obedientiam. quamobrem hæc virtus non conuenit Christo secundum naturam diuinam, eò quòd Superiorem non habeat: quamuis secundum naturam assumptam, quæ Superiorem habet, ei perfectissimè competat. *Ratio obiectiua in obiecto quod*, est debitum auctoritati Superioris ratione præcepti. obedientia enim vult & facit opus præceptum, quia ratione præcepti cœpit certo modo esse debitum; non quidem ita, quali in commodum vel honorem Superioris faciendum sit, sicuti opus religionis; (plerumque enim in eo spectatur commodum inferioris) sed quia ratione præcepti ita fit necessarium, vt sine aliquo contemptu interpretatiuo & vilipensione auctoritatis Superioris non possit eius executio prætermitti. Sicut enim Deus aliquid reuelat, illud obiectum ita fit necessarium ad credendum, vt sine iniuria aliqua primæ veritatis, eius fides non possit prætermitti. Itaque quia teneor vitare illam iniuriam Superioris, teneor non omittere sed exequi opus præceptum; & hoc debitum voco rationem formalem *obiecti quod*. Potest etiam dici, rationem *obiecti quod* esse specialem illam honestatem, quam accipit ex eo quòd sit præceptum auctoritate Superioris. Sicut enim ex reuelatione diuina res fit digna credito, & necessariò credenda: ita ex præcepto diuino res fit digna factu, & necessariò est facienda. Auctoritas enim diuina mediante præcepto illam materiam veluti informat, & hanc dignitatem ac bonitatem tribuit. Sed hic modus parum differt à priore, imò prior videtur conformior praxi: quia et si obedientia faciat opus, quia dignum est fieri ob præceptum Superioris; tamen non solum dignitatem illam respicit, neque ea sola mouetur, sed potissimum

mouetur necessitate; nimirum quia necessarium est factu, ne Superioris auctoritas violetur. Deinde de ratione præcepti est, vt non solum faciat opus dignum factu ob diuinam auctoritatem, sed etiam necessarium: alioquin non tam erit præceptum, de cuius ratione est inducere obligationem, quam consilium. *Ratio obiectiua in obiecto cui*, est auctoritas seu potestas Superioris. Idèd enim Superiori obediendum, quia Superior est, & potestate regendi præditus: sicut idèd credendum Deo, quia prima veritas est.

Hinc patet, primam *rationem formalem obiectiua* in hac virtute esse *Ius & potestatem regendi*, seu imperandi. circa quam potestatem cõsiderandum est, eam ex triplici radice prouenire. Primò, Ex ratione *causæ & effectus*: causa enim naturaliter habet potestatem in effectum. hac ratione Deus potest imperare omni creaturæ rationali; quia ipse est auctor, & illa est opus & figmentum eius. Idem suo modo competit parentibus in filios. Secundo, Ex ratione *totius & partis*: pars enim naturaliter subest toti, & regitur à toto. hoc modo Respublica habet auctoritatem in singula membra. Tertio, Ex ratione *agentis, & patientis, vel instrumenti*. Agentis enim est mouere patientis, & causæ principalis suum instrumentum. Sic marito competit potestas in uxorem, quia naturaliter præstantior, & in illa combinatione se habet instar agentis; & domino in seruum, quia seruus est instrumentum domini. Idem dicendum de hero & famulo conductitio. Ab his mediante commissione deriuatur ad alios, qui eam ex se non habent: ex prima enim radice descendit omnis potestas Ecclesiastica, hoc est ea quæ gubernat in cultu diuino, & in ordine ad vitam æternam. Nam primò à diuinitate (quæ omnem potestatem in creaturas habet à se ipsa ratione causæ) descendit in humanitatem; idque plenissimè & illimitatè, iuxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra*. A Christi humanitate proximè deriuatur ad Summum Pontificem, sicut ab Ordinario in Vicariū. Vnde in eo est tota plenitudo potestatis ecclesiasticæ hominibus communicata. Ab hoc descendit vltèrius ad omnes Rectores ecclesiarum & Religiosarum congregationum, secundum varias restrictiones locorum, personarum, actionum. A secunda radice per commissionem prouenit omnis potestas politica Imperatorum, Regum, Principū, Magistratum: & consequenter omnium eorum qui ab his auctoritatem habent. Respublica enim libera per se & ex natura rei habet potestatem regendi sui & omnia sua membra: vnde eam potest alteri committere, siue vni, siue pluribus; idque secundum varias limitationes & conditiones, prout ei expediens visum fuerit. Ex tertia per commissionem potest deriuari aliqua potestas priuatim aliquid imperandi, & certas aliquas functiones. Omnis enim cui primariò aliqua potestas imperandi conuenit, potest eam alteri committere, & suum in ea vtenda constituere vicarium: quia est ordinarius, cui vniuersè conuenit posse suam potestatem delegare.

Neque his obstat quòd omnis potestas dicatur esse à Deo: quia Deus est prima radix. Prouenit autem ab eo dupliciter, per positiuam ordinationem, & per naturalem institutionem rerum. Priore modo deriuatur ab ipso tota potestas Ecclesiastica seu supernaturalis; posteriore tota potestas politica. hoc ipso enim quo fecit singulos homines sui iuris

24  
Ius imp-  
randi ex  
triplici ra-  
dice.

Potestas  
Ecclesiastica.

Potestas  
politica.

Omnis or-  
dinarius  
potest de-  
legare.

25  
Quomodo  
omnis po-  
testas à  
Deo.



ris, & dedit inclinationem ad vitam communem & politicam; censetur etiam dedisse communitati, quæ ex singulis illis iunctis constat, potestatem regendi sui, & singula sua membra. Nam naturaliter ex potestate singulorum sic in societatem vitam cõuentium resultat potestas communitatis. à communitate autem ulterius per commissionem derivatur ad Reges & Principes; ab his ad officiales inferiores. Hoc sensu dicitur potestas politica esse à Deo, non quòd potestas Principum aut etiam Reipublicæ sit ex immediata Dei commissione, sicut potestas Summi Pontificis, ut quidam parum peritè voluerunt tueri: sed ratione institutionis naturæ socialis, conficiens vnum corpus politicum. Similiter potestas patris in filium, & mariti in uxorem, est à Deo mediante institutione qua instituit procreationem liberorum, & coniugium maris & femina. Domini in seruum est à Deo mediante auctoritate Reipublicæ qua seruitus & herilis potestas instituta, vel interueniente cessione, cum quis libertatem suam sponte in ius alterius transfert, se illi seruum vel gratis vel pretio constituendo.

Ex his perspicuum est, potestatem imperandi esse quadruplicem. Alia enim est diuina, alia humana: & hæc vel est Ecclesiastica, vel Politica, vel domestica, quibus potest vinculum voti vel iuramenti superuenire, ita ut tenearis obedire non solum lege obedientiæ, sed etiam ex voto vel iureiurando.

26  
An quadruplex obedientia.

Dices, Si est quadruplex potestas imperandi, ergo etiam est quadruplex species obedientiæ: sicut enim potestates sunt diuersæ rationis, ita etiã affectus obediendi propter illas videtur esse diuersæ rationis. nam potestas est ratio formalis in obiecto cui: obediunt enim Superiori propter illam potestatem. atqui diuersitas obiecti formalis inducit diuersitatem specificam in affectibus; ergo affectus obediendi sunt specie diuersi. Confirmatur: quia velle facere opus quia id debitum auctoritati diuinæ, est alterius rationis, quam velle idem quia debitum auctoritati humane. Simili modo possumus ratiocinari de auctoritate Ecclesiastica & Politica.

Verius est esse vnius rationis.

Responderi posset, Non esse magnũ incommodum, si vbi diuersum est genus potestatis imperandi, diuersa quoque specie ponatur virtus obediendi. Sed verius videtur, virtutè obediendi, qua obeditur præcepto diuino, & qua humano, non esse specie distinctam, sed eiusdem rationis. quod indicat D. Bernardus Tractatu de Præcepto & dispensatione, circa principium: *Sive Deus, inquit, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendũ est cura, pari reuerentia deferendũ, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Ratio est, quia obedientiæ non est, operari in commodum aut honorem Superioris, sicut facit religio; tunc enim deberet considerare diuersitatem auctoritatis, & cuique congrua deferre: sed operatur in commodum proprium propter obligationem præcepti sufficienti auctoritate impolitam. Itaque respicit auctoritatem Superioris, non ut est tanta vel tanta, sed ut est sufficiens ad obligandum per præceptum. grauitas enim præcepti & obligationis in obedientiæ functionibus non sequitur magnitudinem potestatis, sed materiæ præceptæ. Cuius ratio vltior est, quod in omni potestate imperandi quodammodo includatur potestas diuina, à qua illa descendit, & omnem vim obligandi accipit; & in omni præcepto humano (loquor de iusto & legitima auctoritate facto) includitur

Potestas diuina in omni Superioriore quodammodo reperitur.

præceptum diuinum, quo præcipit Deus ut subditi suis legitimis Superioribus obtemperent, quod præceptum est Iuris diuini naturalis. Est enim non teneamur Iure diuino ad ea quæ sunt Iuris humani, si per se considerentur, seu in sensu diuiso; tamen supposito præcepto vel Iure humano, teneamur ad ea Iure diuino in sensu composito, hoc est, si considerentur ut præcepto humano substant: quia Iure diuino iubemur implere iustum Superioris præceptum, & consequenter ipsum opus materiale, quod ipse præcepit. Itaque numquam obediunt præcepto humano, quin simul implicite obediunt præcepto diuino: & numquam violamus præceptum humanum, quin simul violemus præceptum diuinum. Vnde non minus violatur auctoritas diuina in transgressione præcepti humani, quam in transgressione diuini; cum in humano diuinum sit inclusum. Confirmatur: quia omnis potestas obligandi in præcepto humano est ex vi præcepti diuini. Quare non est quòd diuersas obedientiæ species pro diuersitate potestatum constituamus: quod etiam docet D. Thomas quæst. 104. art. 2. ad 4. Quæ ibi adnotat Caietanus, obscura sunt. Ex quibus patet, quomodo etiam in Superiore politico Deum intueri, & in eius præcepto diuinum præceptum agnoscere debeamus.

Ad argumentum in contrarium allatum patet ex dictis. Illa enim diuersitas potestatis habet se per accidens ad obedientiam, estque ratione illius extrinseca: quia obedientia in opere suo non spectat ut cuique potestati pro sua dignitate satisfaciatur quasi honorem deferendo (hoc enim pertinet ad obseruantiam & religionem) sed ut præceptum Superioris impleatur etiam in suum commodum, præscindendo à magnitudine potestatis à qua hoc præceptum est impositum. Accedit quòd potestas suprema includatur implicite etiam in infima; & hac ratione vtraque eandem specie obligationem suo præcepto inducit, ut ostensum est.

Ad confirmationem. Si consideretur conditio & excellentia potestatis imperantis, & opus fiat affectu illi satisfaciendi; admiscetur alia virtus, qua talis potestas honoratur; ut si obediatur mandato diuino, quia id debitum est tantæ maiestati, admiscetur virtus religionis: si mandato Pontificis, quia id postulat dignitas Vicarij Christi, erit actus obseruantie religiose: si mandato Principis, quia id debitum eius dignitati, erit actus obseruantie politice. Itaque dum quis sic obedit, duæ virtutes concurrunt; virtus quidem obedientiæ, quatenus opus procedit ex affectu satisfaciendi præcepto præcisè considerato; virtus verò religionis, vel obseruantie, quatenus simul procedit ex affectu debitum honorem & obsequium soluendi tali vel tali dignitati seu excellentiæ. Confirmatur: quia dum obedio præcepto Superioris, simul honorem & obsequium ei defero: nam tali modo operandi tacite insinuo internam æstimationem, quam de illius excellentia habeo, & me illi subicio. vnde possum id ipsum in obediendo expressè intendere, idque iuxta conditionem potestatis cui obedio: atqui hæc intentio pertinet ad virtutem qua talis potestas honoratur; ergo in tali modo obediendi illa virtus admiscetur. Insinuat hæc D. Thomas art. 3. ad 1.

Diximus supra, obedientiam respicere præceptum Superioris. Sed contra facere videtur, quòd Religiosus non dicatur perfecte obediens Prælato, qui

Dupliciter potest quis obediare præcepto.

27 An obedientia requiratur præceptum.



expectat præceptum, & absque eo nihil vult face-  
re. similiter nec seruus domino, nec filius patri,  
nec vxor marito: imò sancti Patres commendant  
maximè eam obedientiam, quæ præceptum non  
expectans, ad nutum obedit. vide Basilium Con-  
stitutur. Monast. c. 23. & Bernardum de præcepto &  
dispensat. col. 4. ergo obedientia non solum respicit  
præceptum, sed etiam nutum & inclinationem  
Superioris.

*Obedientia  
dupliciter  
accipitur.*

*Nomen  
præcepti  
aliquando  
latè capi-  
tur.*

Respondeo, *Obedientiam* sæpè accipi pro virtu-  
te, qua quis morem gerit alteri, præsertim Superi-  
ori, faciendo quod ille cupit, siue præcipiat, siue  
non. & hoc modo obedientia non solum respicit  
præceptum (nisi hoc nomen latè sumatur, vt  
comprehendat *omne id quod Superior fieri cupit*,  
etiam si propriè non præcipiat) sed etiam inclina-  
tionem & nutum Superioris: nam huic in bonis  
& adiaphoris propter Deum se accommodare,  
per se honestum est & laudabile. Iuxta hunc mo-  
dum non dicitur perfectè obediens, qui requirit  
præceptum propriè dictum, sed qui statim cognita  
propensione Superioris, facit opus. vnde Alber-  
tus cap. 3. de Virtutibus, ait: *Verus obediens num-  
quam præceptum expectat, sed solum voluntatem  
Prælati sciens vel credens, feruenter exequitur pro  
præcepto; exemplo Domini nostri Iesu Christi, cui vo-  
luntas & complacentia Patri summum præceptum  
fuit.* Talis obedientia maximè requiritur in Re-  
ligiosis; estque necessaria non solum ad bonam  
& stauam gubernationem, sed etiam ad perfectio-  
nem religiosæ vitæ. sicut enim valdè imperfe-  
ctus & reprehensibilis est Christianus, qui nihil  
vult facere, nisi quod Deus vel Ecclesia strictè  
præcepit: ita valdè reprehensibilis est Religiosus,  
qui Superiori aut Regulæ se non accommodat,  
nisi interueniat tale præceptum. ratio est, quia Su-  
perior locum Dei tenet, eique loco Dei inferior  
se subiecit. Itaque in illo Deum intueri debet,  
eiusque vocè tamquam Dei vocem accipere, iux-  
ta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit;* quod  
præclare docet D. Bernardus lib. de Præcepto &  
dispensat. col. 6. Sicut ergo si à Christo visibiliter  
regeretur, eius voluntati morem gerere deberet,  
etiam absque præcepto; (id enim perfectio chari-  
tatis & religionis, ad quam Religiosus adspirat,  
postulare) ita morem gerere debet voluntati Su-  
perioris, qui Christi locum tenet, & eius præst  
nomine.

28 *Cuius vir-  
tutis opus  
sit.*

Petes, Ad quam virtutem pertinet iste o-  
bediendi modus? non enim ad virtutem obedientiæ  
strictè acceptæ; quia non interuenit strictum præ-  
ceptum.  
Respondeo, Pertinere ad virtutem illam, quæ  
generatim & vulgò obedientia dicitur, cuius ratio  
præcisè in eo consistit, quòd quis se voluntati Su-  
perioris in operando accommodet, siue præci-  
piat, siue non: hoc enim per se peculiarem honesti  
rationem & laudem habet. potèst etiam esse actus  
imperatus religionis, charitatis, & aliarum virtu-  
tum. Si enim obtemperat Superiori ex reuerentia  
erga Christum, cuius ille est vicarius, erit actus  
Religionis: si autem quia Christo gratum, erit  
actus charitatis. Pari modo, si facias ex reuerentia  
erga Prælatum, erit actus obseruantie: si quia illi  
gratum est, erit amicitia seu benevolentia. vide  
Gregorium lib. 4. expost. in 1. lib. Regum, cap. 10.  
Secundum tamen modum loquendi S. Scripturæ  
& sanctorum Patrum, propriè virtus obedientiæ

est, quando quis ex animo præstat quod Superior  
mandat, siue mandatum obliget, siue non obli-  
get; siue id faciat ex reuerentia Superioris, siue ex  
reuerentia Christi quem in Superiore inuenit, si-  
ue vt Deo placeat, siue vt seipsum suosque affe-  
ctus mortificet. Simili modo dicitur quis tempe-  
rans, abstiniens, patiens, qui actus externos illarum  
virtutum præstat, ex quocumque honesto affectu  
id fiat. Non enim ex interno affectu, sed ex mate-  
ria & opere externo virtutes distinguunt: quod  
valdè notandum.

#### DUBITATIO V.

*Quæ conditiones in obedientia, præsertim  
religiosa, maximè commendentur.*

Respondeo, Tres potissimum, *cæcitatem, prom-  
ptitudinem, fortitudinem.* obedientia enim perfe-  
cta debet esse *cæca, prompta, & fortis.*

*Cæca* dupliciter, Primò, Ad imperfectiones &  
vicia Superioris, vt hæc non consideret, nec ob hæc  
minùs ad obediendum parata sit, sed solum con-  
sideret eum, cuius locum tenet: ad hunc enim quàm  
maximè oculatam esse decet. monet hoc Domi-  
nus Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt  
Scribe & Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint  
vobis seruare & facite; secundum vero opera illo-  
rum nolite facere.* & Apostolus ad Ephes. 6. *Serui  
obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in  
simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad ocu-  
lum seruientes, &c.* multo ergo magis hoc requiri-  
tur in Religiosis respectu suorum Prælatorum.

Secundò, Debet esse cæca ad rationes præcepti  
scrutandas; nempe vt non velit scire causas cur  
quid præcipiatur; sed satis ei sit præcipi vel pro-  
poni ab eo qui locum Dei tenet, nec constet per se  
esse illicitum. hanc conditionem maximè com-  
mendant Patres; Basilium Constitur. Monastic. ca-  
pite 23. *Quemadmodum pastori suo oves obtempe-  
rant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur; sic  
qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis  
obsequi debent, nihil omnino illorum in sua curiosius  
perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* Deinde  
docet, Religiosos debere se gerere *sicut instrumen-  
tum in manu artificis*, quod sine repugnantia feruit  
ei ad omnia ad quæ voluerit. Cassianus de Institut.  
renuntiantium lib. 4. cap. 41. *Quartum hoc præ  
omnibus excute, vt stultum te secundum Apostoli senten-  
tiam facias in hoc mundo, vt sis sapiens; nihil scilicet  
discernes, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint im-  
perata; sed cum omni simplicitate & fide obedientiam  
semper exhibeas; illud tantummodo sanctum, illud v-  
tile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex  
Dei, vel Superioris ex auctoritate indixerit.* Et cap. 10. lo-  
quens de Monachis Aegypti: *Vniuersa complere  
quæ fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cæ-  
litus edita, sine ulla disquisitione festinant.* D. Greg.  
1. 2. cap. 4. in 1. Regum: *Vera obedientia nec Præpo-  
sitorum intentionem discernit, nec præcepta discernit:  
quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in  
hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: me scit  
enim iudicare, qui quis perfectè didicerit obedire.*  
D. Bernard. 1. de Præcept. & dispensatione col. 6.  
*Sive Deus, siue homo vicarius Dei mandatum quod-  
cumque, tradiderit, pari profecto obsequendum est cura,  
pari reuerentia deferendum; ubi tamen Deo con-*

*Superiori  
tamquam  
Deo obtem-  
perandum.*



rraria non precipit homo. & infra: *Quidquid vice Dei precipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si precipiat Deus, quid enim interest, virum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, h. m. m. b. innotescat suum placitum Deo?* Idem alij passim; & in primis præclare S. P. N. Ignatius in sua de obedientia virtute epistola.

30  
Cur eadem obedientia commendatur.

Ratio cur hoc tantopere commendetur, est, Primo, Quia sine tali modo obedientia vix potest constare pax & bona administratio in congregatione religiosa: erunt enim assidue disputationes & altercationes inter subditos & Superiores.

Secundo, Quia est contra humilitatem & modestiam religiosam, velle à Superioribus rationes exigere mandatorum: hoc enim non est se gerere vt subditum, sed vt parem; neque facere opus quia precipitur, sed quia iudicatur expediens; sicut cum homo illud suo iudicio & arbitrio facit.

Tertio, Quia debet in Superioribus agnoscere Christum, & illis tamquam Christo obedire; vt passim docent Patres, & D. Bernardus supra. vnde in Regula S. Benedicti dicitur, *Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.* Idem colligitur ex Apostolo ad Ephes. 6. vbi iubet etiam seruos obedire dominis suis sicut Christo; & ex verbis Domini, Lucae 10. *Qui vos audit, me audit.*

Dices, Superior non est Christus, nec infallibiliter à Christo regitur: nam & falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipienda fallere potest.

Quid si fallatur.

Respondet D. Bernardus: *Quid hoc refert tuâ, qui conscius nō es: præsertim cum teneas de Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt; quia Angelus Domini exercituum est.* & infra: *A quo demque diuina potius consilia requiruntur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tamquam Deum in bis, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.* hæc ille. Itaque etiam si absolute falli possit Superior: tamen id non est vniquam in particulari præsumendum, nisi de eo constet; eò quod singulari modo à Deo dirigatur; vt pote ab ipso ad alios in via salutis dirigendos constitutus.

In dubio obtemperandum.

Vnde etiam quando res post diligentem discussionem manet dubia, & de nullius graui præiudicio agitur, debet inferior obedire, vt omnes Doctores tradunt; de quo supra cap. 41. n. 77. Deinde etiam si forte in aliquo falleretur, id tamen inferiori non noceret, nec quidquam de merito ipsius detraheret; quia est error ipsi inculpatus, qui non impedit quò minus obedientia sit actus virtutis ex charitate vel religione proficiscens. Sicut cum quis dat eleemosynam homini opulento vel impio, putans esse pauperem vel sanctum: actus enim ex ipso motiuo, quo voluntas ad electionem operis impellitur, virtutis rationem accipit.

31  
Certior directio ad salutem in obedientia.

His accedit quarta ratio, quod homo in hac vita non possit scire quid sibi in particulari expediat ad salutem: sæpe enim illa exercitia, quæ ipsi videntur maximè salutaria, sunt occasio lapsus & perditionis. vnde cuique in hac vita maximè desiderandum est, vt ita à Deo in omnibus dirigatur, sicut ipse nouit illius salutem expedire: in hoc enim situm est donum perseverantia: atqui si hoc villo modo à Deo obtineri potest, obtinetur per simplicem & cæcā obedientiam: ergo hæc maximi facien-

da. Minor probatur, quia si Christus per se ipsum visibiliter nos regeret in terris, & ad hunc finem profus illi nos permetteremus, & rogaremus ita ab illo regi; non est dubium quin nos ita regeret; ergo cum suo loco constituerit Superiores, quibus tamquam sibi ipsi voluit nos morem gerere; si nos illi totos permittamus propter Christum, fiducia bonitatis & prouidentia ipsius, non videtur dubitandum quin ita nos reget, sicut salutem expedire nouit. non enim minus potest nos regere per suos Vicarios, quàm per suam præsentiam corporalem. alioquin magno nobis damno fuisset huius præsentia subtractio; quod tamen falsum esse constat ex Scripturis. Hæc ratio bene expensa maximè debet mouere Religiosum vt totam vitam suam directionem Superiori pure permittat; sibi persuadendo, illud, quod ipse constituerit, meliorem exitum in ordine ad salutem habiturum.

Altera conditio est *Promptitudo* ad exequendum, nempe vt non expectet strictum præceptum, non differat, non tergiversetur, non excuset, non lentè & cum torpore ad opus accedat. hanc commendat Bernardus libro de Præcepto & dispens. col. 4. *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitum extenditur.* & tamen Superior non potest obligare nisi ad ea, quæ intra terminos professionis continentur, vt idem docet, vnde loquitur de non obligatorijs. Idem Sermone de virtute obedientia: *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes iucri, & sic se totum intra se colligit, vt mandatum peragat imperantis.* Idem commendat Basiliius c. 23. constituit. monasticarum.

Valde tamen notandum est, non in omnibus hanc promptitudinem exhibendam; sed in iis tantum quæ ad Religionis exercitia, vel regularem disciplinam, aut mortificationem pertinent. Si enim Prælatura, Episcopatus, vel aliud minus honorabile imponitur, non est ordinariè laudabile se promptum & alacrem exhibere; sed expedit modestè deprecari, & expectare etiam præceptum; præsertim si agatur de Prælatura extra Ordinem suscipiendam: sic enim doctissimi & sanctissimi viri fecerunt, qui quantum potuerunt huiusmodi dignitates semper detrectarunt, nec nisi compulsi acceptarunt, ita fecerunt SS. Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, Bernardus, Anselmus, Thomas, Laurentius Iustinianus, & alij. Ratio est, quia tam multæ dotes requiruntur vt quis sit idoneus ad Prælaturam, præsertim ad Episcopatum, (vt patet ex Apost. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.) vt arrogantia sit, putare se omnibus illis præditum. Accedit, quod itatus ille multis expositus sit periculis, propter opes & honores, propter occasiones & potestatem malè agendi, propter onus conscientia alienæ, propter defectum monitorum, propter delicias & blandimenta carnis, propter assiduas curas, distractiones & rerum exterrimarum tractationem, & alia id genus salutis turbamenta.

Confirmatur hæc omnia ex D. Gregorio l. 35. si. ultimo Moralium cap. 13. vbi docet, obedientiam in quibusdam rebus debere nihil propria affectionis habere, sed solo alterius imperio moueri;

in



in aliis contra, debere multum habere de suo: quia, inquit, nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam vero iubentur adversa; sciendum summopere est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habet, minima: nam cum huius mundi successus precipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda haec obedit, obedientia sibi virtutem enascitur, si ad haec etiam proprio desiderio anhelat. rursum cum mundi despectus precipitur, cum probra adipisci & contumelia iubentur, nisi ex seipso animus haec appetat, obedientia sibi meritum minuit, &c.

Idem confirmat exemplo Moysis & Pauli: Moyses enim à Deo ipso vocatus ad praefecturam populi, ex humilitate detrectat & excusatur, & alium praefici rogat. Paulus verò ex diuina reuelatione Ierosolymam proficiscens, ubi grauius passurus erat, non detrectat, sed alacriter ad omnia se comparat. *Moyses itaque* (inquit Gregorius) *ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renuitur, ne Iraelitica plebi preferatur. Paulus ad diuersa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem praecipit, sed deuotione spiritus etiam ad ardua ferue scit. Ille praesens potestatis gloriam Deo voluit inbente declinare: iste Deo dura & aspera disponente, se studuit ad grauiora praeparare. Praeunte ergo virorumque, ducum infracta virtute instruitur, ut si obedientia palmam apprehendere veraciter nititur, prosperis huius saeculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus. Haec ille.*

34 **Obiectio.** Dices, Religiosus voluntatem Superioris ducere debet pro diuina: atqui fas non est diuinam voluntati refragari; ergo.

**Resp.** Respond. Maior vera est, Primò, In praecipis. Secundò, Extra praecipitum, in iis, quae pertinent ad vita directionem, & exercitia Religionis. Tertio, In honoribus verò & Praelaturis acceptandis, non est voluntas diuina vt statim acceptemus; sed vt quantum in nobis est declinemus, deprecemur, & expectemus praecipitum. Idem placet prudenti Superiori, qui etiam huiusmodi declinationem laudare, & celere acceptione vituperare consuevit. facit enim inferior declinando huiusmodi, conferraneè suo statui; sicut & Superior imponendo: quare vterque facit laudabiliter. Itaque inferior declinando non facit contra voluntatem Superioris, nisi materialiter, donec accedat praecipitum. Quod confirmatur exemplo Moysis, qui detrectabat praefecturam populi, quam Deus illi volebat imponere; qua in re non faciebat contra voluntatem diuinam, nisi materialiter; nam Deo id ipsum placebat, vt ex Gregorio dictum est, nisi cum nimium tergierfabatur; tunc enim dicitur iratus Dominus, Exodi 4. vers. 14. vt sciamus in hac quoque re modum seruandum.

35 **3. Fortitudo.** Tertia conditio est, *Vt sit fortis*, scilicet in opere praecipito aggrediendo, & perseverando in illo; vt non detrectet exequi difficilia, & postquã inceperit, non resiliat ob difficultates occurrentes. Huius exemplar exhibuit Dominus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ad Philip. 3. Hanc fortitudinem commendat D. Basilius cap. 20. monast. constitut. *Oportet, inquit, in primis, vt is, qui se ad vita huius rationem contulerit, stabili, firma, immobilique voluntatis constantia sit, iudicioque tali, vt à malignis spiritibus neque concuti, neque loco pelli queat. Deinde animi firmitate tanta, vt ad mortem usque constantiam martyrum exhibeat, cum diuinis*

*praecipis retinendis, tum obedientia erga magistros suos conseruanda. hoc enim totius vite institutum est caput. Chryl. Hom. 3. in 2. ad Corinth. valde fuse. Calistianus de Instit. renuntiant. lib. 4. c. 20. & alij.*

Petes, Vtrum obedientia sit praestantior ceteris virtutibus?

Respond. Possè id quaeri vel de obedientia omnibus Christianis communi, quam *Christianam* vocare possumus: vel de obedientia religiosa. Si loquamur de *Christianam*, haec est praestantior ceteris virtutibus moralibus, excepta religione. Ratio est, Primò, Quia per hanc virtutem homo se subijcit Deo, Superioribus ecclesiasticis & temporalibus, in omnibus eorū praecipis exequendis, quae subiectio valde difficilis est, & ad plurima se extendit: hoc autem multò praestantius est, quam restituere ablata, seruare modum in voluptatibus, & cetera, quae per alias virtutes morales à religione distinctas, praestantur. Secundò, Quia continet actiones omnium virtutum, quatenus sunt in praecipito. respicit enim debitum, seu obligatione ex praecipito prouenientem in omni virtutis materia. Tertio, Quia obedientia sola virtus est, quae ceteras menti inserit, inserta quae custodit, vt S. Gregorius l. vlt. Moral. c. 12. ait: ex motiuo enim obedientiae homo impellitur ad officia & functiones omnium virtutum, (v.g. nunc ad ieiunium, nunc ad audiendum Sacrum, nunc ad frequentanda Sacramenta, nunc ad eleëmofynã, & sic de ceteris) per quas functiones illae virtutes generantur, augentur & conseruantur.

Hinc tamen non sequitur, esse omnibus virtutibus priorem: tum, quia illa necessario prior est, quia auctoritas praecipientis innotescit, nempe fides: tum quia saepe actus aliarum virtutum fiunt absque praecipito; tum quia infulio gratiae & virtutum potest praecedere omne opus virtutis, vt patet in paruulis. Ita D. Thomas ar. 3. ad 2.

Similiter non sequitur eam esse praestantior Theologicis, quia haec immediatè cum Deo mentem coniungunt, & ad omnes alias se extendunt, fides dirigendo, spes & charitas imperando, idque ex altiori motiuo; nec tantum ad opera praecipita, sed etiam ad consulta pertinent. Idem dico de virtute religionis: haec enim ipsum Deum colit, cum obedientia eius praecipitum dumtaxat intuetur. Deinde religio officia aliarum virtutum non minus ad suum finem, quam obedientia refert. Nec obstat quòd *obediencia sola* dicatur ceteras virtutes menti inferere; quia sola obligat ad actus omnium virtutum, nimirum quando sub praecipitum cadunt: & sola omnia praecipita intuetur; quae dum seruantur, omnes virtutes acquiruntur.

Si de *obediencia religiosa* agatur, haec etiam ceteris moralibus, etiam obedientia communi (non tamen religione) est excellentior. Primò, Quia per illam homo non solum in communibus & aliis praecipis, (vt obedientia communis) sed etiam in totius vite directione subijcit se alteri propter Deum, itaque deserit propriam voluntatem & potestatem viuendi arbitrio suo, & consequenter omnia solatia & oblectamenta, quae homines hinc capere solent, quod sanè maius est & difficilius, quam relinquere opes, aut honores, aut carnis oblectationes. opes enim & honores sunt bona externa, quae interdum ethnici propter cognitionem rerum naturalium adipiscendam deseruerunt. Oblectationes carnis solum ad corpus & sensus externos pertinent, & cum turpitudine verecundiaque con-

36 *An sit alius virtutibus praestantior.*

*Christianam obedientiam praestantior ceteris moralibus, excepta religione.*

*Obediencia ceteras virtutes inserit.*

*Non tamen est prima.*

*Non est praestantior Theologicis & religio-*

37 *Obediencia religiosa praestantior.*



iunctæ; unde etiam à multis ethnicis spreta. At potestas viuendi iudicio & arbitratu suo, est bonum spiritale, & præcipuum homini quia homo est, quod nullus vniquam Philosophus sibi contemnendum aut deserendum duxit. Itaque hoc ipsum propter Deum relinquere, est maioris perfectionis & meriti, quam relinquere opes, vel honores, vel carnis illecebras.

Confirmatur, quia in eo deseritur proprium iudicium & arbitrium in vitæ directione; ac proinde omnia ea, quæ homo iudicio suo agere, pati, consequi, habere, retinere, elargiri potest. Itaque per hanc obedientiam homo non minus deserit sponte, quam per seruitutem amittit inuitè; quæ tamen morti æquiparari solet.

38 Secundo, Quia cum in hac obedientia subijciatur se Religiosus homini propter Deum, includit ipsa non solum nudam virtutem obedientiæ, quæ respicit debitum præcepti, sed etiam virtutem religionis & charitatis; vt colligitur ex D. Thoma ar. 3. ad 1.

Tertio, Quia obedientia religiosa est ex voto: hæc enim subiectio Deo promittitur: unde est instar sacrificij, quo homo seipsum totum, animam & corpus, intellectum & voluntatem, & totam vitæ rationem Deo offert. Itaque etiam hac ratione includit virtutem religionis.

Hinc facile intelligi potest quomodo *melior sit obedientia quam victima*: etsi enim oblatio victimarum sit actus religionis; tamen subiectio suæ voluntatis sub Deo (in qua consistit obedientia) est etiam actus religionis, si fiat ex voto, aut ex reuerentia erga maiestatem diuinam; vel charitatis, si studio gratificandi Deo. deinde res nobilior exhibetur: nam vt ait Gregorius lib. vlt. Moral. c. 12. hunc locum ad suum propositum exponens vel accommodans: *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur*, id est, propter Deum deseritur. Quamuis alium sensum videantur habere verba illa; (quæ sunt Samuelis & Saül 1. Reg. 15.) nimirum melius esse, omiſſis victimis non præceptis, facere quod Deus præcepit, quam omiſſo diuino præcepto offerre victimas voluntarias, aut etiam prohibitas; sicut fecit Saül.

Ex dictis colligi possunt quatuor obedientiæ gradus.

39 Primus est, Exequi exterius quod præcipitur. Secundus est, Voluntatem suam omnino subijcere voluntati Superioris, ita vt libenter facias propter Deum, quidquid ipse mandauerit.

Tertius est, Subijcere iudicium suum iudicio Superioris, credendo id melius esse, vel meliorem exitum habiturum quod ipse iusserit.

Quartus, Hæc obseruare non solum in ijs quæ strictè præcipit, sed etiam quæ non præcipit, sed solum fieri desiderat.

DUBITATIO VI.

Quid inobedientia, & quale peccatum.

D. Thomas qu. 105.

40 Sicut dictum est obedientiam dupliciter accipi; ita quoque inobedientia dupliciter vsurpatur, materialiter & formaliter. *Materialis inobedientia* est cuiusuis præcepti præuaricatio. hoc modo omne peccatum est inobedientia quædam; nam per omne peccatum violatur aliquod præceptum ma-

gnum vel paruum, in re graui vel leui, cum perfecta vel imperfecta animaduersione; adeo vt contradictionem implicet, esse peccatum, & non esse contra præceptum. Itaque hæc notio inobedientia includitur in omni peccato, tamquam ratio generica, vel vt circumstantia quædam generalis; iuxta diuersum modum explicandi rationem peccati. Simili modo in omni peccato est offensio Dei, quatenus est contra amicitiam & amorem ipsi debitum; vilipensio & quidam contemptus; vt est contra aestimationem Dei; irreligiositas, vt est contra reuerentiam & honorem; ingratitude, vt est contra beneficiorum ipsius recognitionem. *Inobedientia* tamen ratio clariùs apparet in omni peccato, magis que videtur intrinseca: quia desciscere à legè & regula operandi, in omni gente peccatum dicitur. unde peccatum ex D. Ambrosio definitur solet *caelestium inobedientia mandatorum, & diuini præuaricatio præcepti*.

*Formalis* est, quando quis præceptum violat ea intentione vt illud violet, & ei suo facto aduertetur. hac ratione est propria species peccati ab aliis distincta, per quam contemnitur præceptum, vel ipse præcipiens.

Notandum autem est, hanc inobedientiam esse contra duplex præceptum, videlicet contra præceptum, quod expressè intentione violatur, à quo habet suam speciem, & rationem inobedientia formalis; & contra præceptum, quo talis violatio prohibetur; scilicet, Non contemnes præceptum Superioris, non violabis ex contemptu: & hinc habet rationem genericam, sicut alia peccata: nam hoc modo est contra præceptum materialiter, & solum materialis inobedientia; cum hoc præceptum non contemnat.

Petes Primò, Vtrum sicut datur præceptum, quo vetatur inobedientia formalis, ita quoque datur præceptum, quo obedientia formalis præcipiatur.

Respondet, non dari, si loquamur de executione bonorum operum. ratio est, quia numquam est necessarium vt faciamus opus bonum præcisè quia debitum ex præcepto: sufficit vt illud faciamus propter intrinsecam ipsius honestatem, aut vt Deo placeamus; sic enim abundè satisfacimus præcepto: *plenitudo enim legis est dilectio*. Itaque nullum inuenitur præceptum Dei, aut Ecclesiæ, quo iubeamur facere opus hac intentione: omnia enim præcepta iubent opus fieri simpliciter secundum propriam honestatem.

Nec obstat præceptum, quo iubemur obedire Superioribus, *et sicque subiicere*: huic enim satisficit, partim si ea quæ iubent faciamus, etiam si non illa intentione formali satisfaciendi præcepto: partim si velimus illis subesse; quod velle possumus propter amorem Dei, absque formali affectu obedientiæ. Dum tamen implemus aliquod præceptum, obligamur non habere intentione implementationi contrariam: hoc enim esset contempnere præceptum. cum hac tamen intentione non implendi præcepti, potest impleri præceptum re ipsa; ita vt non sis illius præuaricator, nec tenearis rursus opus præceptum exequi; nam per præceptum solum intenditur vt opus virtutis fiat, non autem vt ex affectu satisfaciendi præcepto fiat. vt tamen euites internum peccatum contra præceptum, requiritur vt reuocet animum non implendi præcepti; & ita cupias opere illo præterito satisfacisse obligationi. Ordinariè tamen homo non implet præceptum

Multa sunt peccata generalia in omni peccato.

Formalis inobedientia.

41

42 An obedientia formalis sit præcepta.

43

Obedientia quomodo melior quæ victima.

Quatuor gradus obedientia.

Omne peccatum inobedientia quædam est.



ceptum, nisi cum expressa vel implicita intentione implendi: quia sine intuitu præcepti vix fieri potest vt opportunè se applicet ad operis præcepti executionem. In executione tamen non tenetur hoc motiuo vti, ita vt opus ex illo procedat, sed satis est vt procedat ex affectu propriæ honestatis.

44  
An possit  
hic modus  
præcipi.

Petes Secundò, Vtrū Prælati non possit imperare subdito suo Religioso, vt hoc modo operetur.

Respond. Verius videri, non posse. ratio est, quia iste modus operandi non est necessarius vt opus sit actus virtutis, potest enim esse actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia fit ex affectu charitatis aut religionis, absq; intuitu præcepti, vnde non videtur subesse iusta causa, cur talis modus operandi præcipi possit circa aliquod opus. Sed nec secundum se præcipi potest, nempe vt velis & proponas sic operari, tum quia si non potest præcipi vt sic opereris, multò minus vt sic velis operari; velle enim est propter operari: tum quia actus interni secundum se præcipi humana potestate non possunt, sed solum vt sunt necessarij ad constituendum actum externum in aliqua specie virtutis, vt plerique DD. tenent: vel si possunt præcipi, non tamen omnes, sed ij tantum ad quos iure diuino vel naturali, absque determinatione temporis, loci, vel modi adstringimur; in quibus potestas Ecclesiæ hæc potest determinare, de quo plura 1. 2. q. 96.

45  
Quale pec-  
catum.

Petes Tertio, Quale peccatum sit formalis inobedientia.

Respondeo, Ex genere suo esse peccatum mortale, potest tamen esse peccatum veniale, vel defectu perfectæ attentionis, vel ratione leuitatis materia materia autem leuis hæc, est præceptum de re leui, vel quod solum obligat sub peccato veniali. Ita Valentia disp. 7. qu. 9. puncto 3. Idem insinuat Caietanus in Summa v. Inobedientia, dicens, *in inobedientia formali interuenire peccatum veniale, propter imperfectionem actus, vel materia minima.* & Lopez 1. p. cap. 55. in fine. Verum hoc eget limitatione & explicatione. Dicendum igitur, hanc in-

obedientiam nasci immediate vel ex contemptu præcepti, vel præcipientis. Si ex contemptu præcipientis, vel contemnitur expressè Deus ipse; & hoc est directè contra aestimationem & reuerentiam ipsi debitam, ac proinde contra virtutem religionis, quæ tota tali contemptu eueritur; vnde est graue peccatum mortale. Vel contemnitur homo, qui est Superior; & tunc considerandum est quomodo contemnat. Si enim contemnas ipsam potestatem, tamquam nullius momenti; vel ipsam hominem, (etiam ob aliam causam) ita vt absolute nolis illi parère, erit peccatum mortale. Si autem non contemnas potestatem, nec recuses parère in rebus maioris momenti, etiam si contemnas personam ob defectum eruditionis, prudentiæ, nobilitatis, &c. & ex hoc contemptu aliquod præceptum eius in te leui violes, fortè non erit mortale. Similiter si offensus Superiori, quasi in vindictam id facias: negari tamen nequit quin sit graue peccatum veniale.

Si autem nascatur ex contemptu præcepti tantum, vel est præceptum rei grauis, & sic est etiam peccatum mortale: vel est rei leuis, & minoris momenti; estque vel præceptum diuinum vel humanum. Si sit diuinum, & contemnas tamquam inutile aut vanum, & ideò nolis ei parère, sine dubio est peccatum mortale: continet enim tacitam blasphemiam. Si non reutes inutile, sed solum parui aestimes, quia non obligat sub peccato mortali; & ideò violes, fortè non erit peccatum mortale: erit tamen grate veniale, quia magna est inordinatio, si ideò pecces vt ostendas te peccatum veniale parui facere. Si autem non sit præceptum diuinum, sed humanum, & in materia leui, facilius potest eius contemptus esse peccatum veniale: quia homo potest in præcipiendo errare; & cum hoc stare potest obedientia, respectu præceptorum maioris momenti.

Cetera, quæ de præcepto & obedientia dici possent, pertinent ad 1. 2. qu. 96.

## CAPVT XLVII.

### De virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est solum debitum morale.

#### Constat Dubitationibus 9.

**T**ALES sunt Gratitude, Vindictio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Æquitas; quibus sua vitia opposita adiungemus.

#### DUBITATIO I.

*Quid sit gratitudo, & quod eius officium.*

*D. Thomas quest. 106.*

1  
Gratitudo  
quid.



**G**RATITUDO generatim est virtus, quæ respicit debitum ex beneficio accepto natum, & vt illi aliquo modo satisfaciat, repedit aliquid benefactori; vt actionem gratiarum, obsequium, cultum, vel aliud beneficium. Itaque extendit se ad omnes, à quibus aliquid beneficij accepimus; nimirum ad Deum, parentes, Superiores, & homines priuatos.

Vtrum autem sit vna virtus, vt ad omnes hos se extendit, an plures, ita tamen vt identificetur religioni, pietati, & obseruantia, quatenus earum obiecta respicit, dubium est.

Videri possit esse vna, Primò, Quia obedientia statuitur vna virtus, eò quod respiciat debitum ortum ex præcepto; nec diuersa est pro diuersitate præcipientium, aut præceptorum: ergo similiter gratitudo erit vna virtus respiciens debitum proueniens ex beneficio accepto, nec erit diuersa pro diuersitate beneficiorum, aut benefactorum, videtur sanè vtrobique eadem ratio.

Secundò, Compensare pro suo modulo beneficium acceptum, à quocumque demum acceptum sit, habet peculiarem rationem boni; sicut satisfacere præcepto, à quocumque demum sit impostum, specialem honestatem & laudem continet: ergo est aliqua peculiaris virtus, quæ hanc rationem

2  
An sit vna  
communis  
gratitudo.

nem